



IN NOMINE IESU !
METHODICA
PRÆCIPUO.
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,
Cujus
DISPUTATIONEM III.
De
DEO ET ATTRIBUTIS
DIVINIS,
PRÆSES
JOHANNES Deutschmann/
D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,
ET RESPONDENS
M. JEREMIAS Deutschmann/
Jutrebocensis Saxo,
proponent
Ad d. Maij
VYTTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, Anno 1663.

IN NOMINE JESU !

1. **U**T propius ad nostrum institutū nunc accedamus, capita *partis specialis*, Bono cum Deo, periustramus. *Partis Specialis* tum *Articulorum specialem Catalogum*, tum *Articulorum Epilogum* proponit. *Catalogus* 3. partes complectitur. *Prima pars* agit de *Non controversis articulis*, sicut ipse *Lutherus* fateatur. Duo v. de *Prime partis articulis* *B. Megalander* annotavit (1) *Ipsam Articulorum Thesin*, vel *propositionem* (2) *Generalem*, *epicrisin*, vel *prime partis conclusionem*.

2. Nos ut *utroque* *utroque* faciamus, de *generalibus* primo loco verba faciemus, non tam per modum *appendicis*, quam per modum *indicis*, *judicis* & *vindicis*, *epicrisin* illam adducentes. *Indicant* n. *epicriseos* verba, tempore *consignatorum* istorum *articulorum*, nullum fuisse de *presentibus articulis* inter *Nos* & *Papistas* litigium. De *his*, scribit *Lutherus*, *articulis nulla est inter nos & adversarios controversia*, cum illos *UTRINQUE* confitemur: *quamobrem non est necesse, ut pluribus jam de illis agamus*. Loquitur igitur *B. Lutherus* (1) de *suis*, non de *nostris temporibus*, quia cum primis in *doctrina de Christo Jesuita*, cum aliis *Papistis*, quam plurimos errores hodiè foveat. (2) *collective*, non *distributive*, non de *privatis Doctorum opinionibus*, aut *vanis atq; vagis Scholasticorum questionibus*, sed de *communi Pontificiorum doctrinā*, vel *totius Ecclesie confessione*: sic nulla tum inter *Papisticam* & *Nostram Ecclesiam* controversia de *presentibus articulis* erat. (3) De *principalibus doctrina capitibus* ipsis, non de *secundariis* quibusvis *questionibus*, aut *erroneis hypothesebus*, vel *absurdis consequentiis*, quæ per legitimam *illationem* ex *doctrina Papistarum* fluunt. Præterea *judicant* hæc verba *recentiores* tum *Jesuitas*, tum *alios Papistas*, qui *veterum* limites moverant, & ab eorum *doctrina* consentiente defecerunt, quod ex his verbis colligitur, & passim à nostratibus uberius diducitur. Certè quia *Lutherus* hanc *epicrisin* *symbolo publico* inseruit, nec eandem in *Papistico Concilio* profiteri erubuit, ideo nullum apud nos, de *publico doctrinæ* in his capitibus *consensu* inter *Nos* & *Papistas*, dubiū relinqvunt. Hinc etiā *Vindicis* par-

res expediunt, nostramque doctrinam à vanis falsisque Papi-
starum insultibus defendunt, quasi novam, prius inauditam, Au-
gust. Confessioni, veteribusq; Papiſtis contrariam, doctrinam in
articulo de Christo susceperimus, quod Forerus, Thomas Henrici
cum aliis somniant.

3. *Thesis articuloꝝ quatuor articulos, eosq; maximè
principales, comprehendit, quia partim agit de Myste-
rio Trinitatis, partim de Myste-
rio Incarnationis. Myſterium Trinitatis con-
sideratur & conjunctim artic. 1. De Deo Uno & Trino: & distin-
ctim artic. 2. de personis SS. Trinitatis sigillatim. Incarnationis my-
ſterium proponitur partim quoad assertionem art. 3. De Filii Dei
incarnatione; partim quoad explicationem artic. 4. de ipsa Incar-
natione vel Incarnati consideratione.*

4. *Articulus Primus duo Myſteria complectitur (1) Myſte-
rium Deitatis, quoad unitatem eſſentiae ſpectatae. (2) Myſterium
Trinitatis, quoad diſtinctionem personarum consideratae. Quae
duo myſteria differunt (1) Objeeto, quia prius circa divinam eſ-
ſentiam, vel Deitatem ipsam, poſterius circa Deitatis personas ver-
ſatur. (2) Statu, quia myſterium illud abſolutae considerationis eſt,
& abſolutiſſimam Dei naturam tradit; hoc verò relative conſide-
rationis dicitur, & Deitatem cum eminentiſſimo reſpectu ad per-
ſonas exponit. (3) Medio, quia Myſterium Deitatis etiam per na-
turam & creaturam ſuo modo notum eſt, quod contra Socinũ,
ejuſque complices obſervandum, hoc v. per ſolam Scripturam
Sacram traditur. (4) Cognoscendi modo, quia prius etiam per
humanam mentis rationem cognoscitur, hinc triplex à Philoſophia
via divinae cognitionis adducitur, nim. via negationis, via cauſali-
tatis, & via perfectionis, vel eminentiae; poſterius a. ſola revelatio-
ne cognoscitur, & ſola fide ſalutariter apprehenditur. (5) expli-
cationis vel Confessionis Symbolicae textu: Nam utrumq; Myſte-
rium & Deitatis & Trinitatis in his breviſſimis articuli verbis,
ſed diſtinctis textus membris traditur. Myſterium unius Deitatis
ſequentibus: Pater, Filius & Spiritus S. in una divina eſſentia &
natura ſunt unus Deus, qui creavit caelum & terram: Myſterium v.
Trinitatis proponitur reliquis: Pater, Filius & Spiritus S. in una
divina eſſentia & natura ſunt tres diſtinctae perſonae.*

5. Ex quibus liquidò patet, quod juxta præsentem articulum de Deo potissimum duo sint observanda (1) *Commune utriusq; mysterii subiectum*, quod est *Pater, Filius & Spiritus S.* siquidem de *P.F. & Spiritu S.* prædicatur utrumque, tum quod in una divina essentia & natura sint unus Deus, qui creavit cælum & terram, tum quod in una divina essentia & natura sint tres distinctæ personæ. Hujus *Subiecti* respectu distinguitur hæc *symbolica Dei confessio* partim à *tractatione philosophica*, quia tota *philosophia* circa mysterium hoc de *Patre, Filio & Spiritu Sancto* ignorantia puræ negationis laborat, cum nihil de tali notitia Dei per *lumen rationis* indagare queat: partim à *tractatione ethnica*, quia gentiles sunt; ἀθεοὶ ἐν τῷ κόσμῳ *Eph. II. 12.* adeoq; neq; *Patrem*, neq; *Filiū* neq; *Sp. S.* religiosè cognoscunt: partim à *tractatione quorumvis Anti-Trinitariorū heretica*, quia omnes illi verū Deū non habent, nec in Deū verū credunt, siquidē *Patrem, Filium & Spiritum S.* qui verus est Deus, contra scripturam negant. (2) *Speciale utriusq; mysterii prædicatum*, quod antea notatum est.

6. Dicitur a. *Pater, Filius & Spiritus S. commune subiectū* utriusque mysterii (1) *propter trium personarum & essentia divina identificationem*, quia *Pater, Filius & Spiritus S.* nihil aliud sunt, quam *essentia divina*, vicissim etiam *essentia divina* nihil aliud est, quam *P.F. & Sp. S.* (2) *propter authenticam verbi DEI testificationem*: siquidem *Pater, Filius & Sp. S.* non tantum passim in *S.L.* dicuntur *unus verus Deus*, sed etiam disertis verbis *UNUM ESSE* perhibentur *I. Job. V. 7.* ubi verbis clarissimis *Tres, Pater, Verbum & Spiritus, unum esse* dicuntur. [3] *propter aliorum symbolorum consensionem*: Nam in *Apostolico Symbolo* prorsus eadem doctrina traditur: *Credo in Deum Patrem, Filium & Spiritum S.* Idem de *Niceno* dicendum. In *Athanasiano* quoque pulcherrimā verborum formā noster articulus illustratur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur &c.* [4] *propter revelatæ doctrinæ à naturali, vel Theologica cognitionis à philosophica distinctionem.* Nam quod simpliciter *unus Deus* sit, illud etiam *natura* docet, *creatura* mōstrat, *ratio* dicit, & ex plurimis *philosophicis argumentis* certum, sicut ex *Theologia naturali tum insita, tum acquisita* manifestū:

sed quod Pater, Filius & Spiritus S. sint unus essentia, vel natura Deus, natura vel rationis dogma non est, sed verissimum doctrinae revelatae mysterium.

7. *Mysterium unius Deitatis tria specialiora sub ambitu suo mysteria, juxta primum articulum, complectitur. (1) Mysterium divinae quidditatis, vel essentiae (2) Mysterium divinae proprietatis, vel eminentiae. (3) Mysterium divinae operationis, vel efficientiae. Sicut n. haec tria, secundum doctrinam transcendentalem, de quoquoque Ente notanda veniunt; sic etiam hujus articuli structura, circa theoriam Entis summi, vel mysterium Unig Deitatis, haec tria de DEO consideranda nobis offert, videl. (1) Divinam Essentiam, vel Naturam, cujus mentionem disertam facit. (2) Divinam eminentiam, in variis attributis & proprietatibus conspicuam, quae de causa tum unius essentiae, tum unius naturae, tum unius Dei meminit, aliasque Dei perfectiones eminenter involvit. (3) Divinam energiam, quia Deus hic caelum terramque creasse dicitur.*

8. *Mysterium divinae quidditatis, vel Essentiae nobis explicatur (1) Quoad onomatologiam. Varia siquidem onomata, divinae quidditatis symbola, hic occurrunt, quae nullam observationem non merentur. Vocatur (1) Divina essentia, quae duo vocabula non distincta, sed simpliciter unum conceptum inferunt, quia nobis ad cognoscendum ipsum Deum simplicissimum inserviunt. Unde nihil aliud notant, quam ipsum Jehovah, qui est essentia divina ita, ut essentia divina sit ipsissimus Jehova. Dicitur aliter Θεότης Col. II. 9. Θεότης Rom. I. 20. τὸ θεῖον Act. XVII. 29. &c. Nam τὸ Divinum esse huic essentiae non accidentalem aliquem modum, nec extraessentialem respectum, vel transcendentale quoddam attributum addit, sed ipsum essentialem vel actum, vel statum infert, cum essentiam divinam esse nihil aliud sit, quam ipsum Deum esse. Unde notandum est, Essentiam h. l. divinam appellari οὐσιαστικῶς, ὀνειαστικῶς, & οὐσιωδῶς, constitutive, definitive & essentialiter, non v. παθητικῶς, ἐπισημαστικῶς & περισημαστικῶς, quod ex eo patet, quia ratio Divinitatis adequatum de Deo conceptum parit, non a. inadequatum aliquem conceptum post se relinquit.*

9. (2) *Divina Natura, qui terminus totidem syllabis ἐγγεγραμμένη est II. Pet. I. 4. ubi θεῖα φύσις de Deo pronuntiatur;*

juxta

juxta Damasc. *Isagog. c. 1.* ἑσία, φύσις καὶ μορφή κατὰ τὸς ἀγίους πατέρας τῶν Ἰσιν: sicut etiam alias Philosophus inquit, 4. *Metaphys.* πάντα γὰρ ἑσία φύσις λέγεται. Non dissimili ratione nomen φύσεως *Gal. IV. 8.* usurpatur, ubi de gentilibus Idololatris scribit *Apostolus*, quod tunc ante præconium Evangelii fuerint ignorantes Deum, ἔτις, qui natura non sunt Dii, τοῖς μὴ φύσει ἑσίοις ἑσίοις servierint. Opponuntur in his verbis Deus verus, ὁ φύσει ὢν θεός, qui natura Deus est, & Dii fictitii, vel alieni, οἱ μὴ φύσει ὄντες ἑσίοις, qui natura non sunt Dii. Sociniani quidem nomen φύσει hic non de natura, sed pro revera, re ipsa, accipiendum esse volunt, ut patet ex *Socin. advers. Volan. p. 194. Schmalz. respons. ad Nov. Monst. p. 77.* & aliis: sed contrarium apparet tum ex propria vocis significatione, tum ex manifesta veri Dei ἔτις alienorum Deorum oppositione, tum ex gentilium ante conversionem consideratione, tum ex Idolorum ἔτις idololatrias collatione, ἔτις ex aliis argumentis. Divina proinde natura, Deus, ἔτις essentia divina verè Synonyma dicuntur.

10. (3) Deus, quod nomen h. l. non κατ' ἀνωμαλίαν, & quoad inconvenientiam, quatenus idolis, Diis gentilium, & ipsi Diabolo, nonnunquam de facto tribuitur: neq; κατ' ἀναλογίαν, vel secundum aliqualem convenientiam, quatenus Angelis, Magistratibus, & aliis in eminentia constitutis, ex gratia peculiari, juxta S. L. adscribitur: sed κατ' ἑσίαν, vel secundum realem essentiam accipitur, quatenus uni soli Deo competit. Notandū igitur, quod nomen Dei non sit appellativum, sed proprium, contra *Socin. advers. Volan. p. 185.* & *contr. Wujek p. 333.* quod non sit commune multis, sed uni singulare, contra *Crell. l. de Deo ἔτις attrib. c. 1.* quod in latiori suo significato non sit nomen analogum attributione, sed proportione, cōtra *Schmalz. lib. de Error. N. A. p. 40. ἔτις 41.* quod propriè sit nomen substantivū, nō a. adjectivū, nec adjectivè in *Mysterio* præseti sumi possit, cōtra *Socin. adv. Volan. p. 189.* quod sit essentia, vel naturæ nomē, nō dignitatis, aut excellentiæ, contra *Schmalz. l. de Divin. Verbi Incarn. natura c. 26. p. 144.* de quibus omnibus consulatur *Venerandus Dn. D. Calovius in Theol. natur. ἔτις revel. p. 436.* In nostro certè textu Dei nomen, tanquam propriū, singu-

singu-

singulare substantivum, & essentia, vel naturae nomen adhibetur, quod textus evidentia monstrat.

II. (II) Quoad Pragmatologiam *Mysterium* essentiae divinae dupliciter consideratur, vel ratione sui, sicut conditionis, vel ratione nostri, sive nostrae cognitionis. Ratione sui Deus, juxta B. August. de cognit. verae vitae c. 7. est essentia invisibilis, omni creatura incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam aeternitatem simul essentialiter possidens: idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa justitia, ipsa aeternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens &c. Quid igitur sit esse Dei, neque cogitari, nec explicari, nec dignè satis estimari potest, nostrum igitur est Eminentissimam Divini Numinis Essentiam admirari, non timari. Quae Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quae autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati, secundum Autorem lib. de Vocat. Gent. c. 7. Hoc tamen novimus, quod Deus sit essentia (1) ἀληθὴς verè, quia non per mentis fictionem, sed per rei veritatem Essentia dicitur. (2) ἰδιώως propriè, quia non κατ' ὁμοίωσιν, vel per similitudinem, sed potius κατ' ἰδιότητα, juxta naturae suae proprietatem Essentia vocatur. (3) ὄντως & realiter, non φαινομένως, vel apparenter, quia Deus totus totus essendo est, quod est: nō siendo suā accipit essentiam, sed essendo seper & simpliciter est Essentia (4) ἐξοχικῶς, quia Deus κατ' ἐξοχήν est essentia, hinc etiā Ens Entium communiter appellatur (5) πηγαιῶς & originaliter, quia Deus solus est Ens per Essentiam tale, sed omnia reliqua sunt Entia per participationem, unde Deus essendi Fons est, & principium omnium essentiarum. (6) ὑπερβολικῶς, & excessivè, quia Deus excedit & transcendit omnia, quae sunt Entia, vereq; transcendentaliter Ens est. Hinc Pythagoras anigmatica descriptione Deum definiit, Excessum maximorum numerorum supra proximum. Nos in his generalibus acquiescimus, ad summum Essentia divina mysterium penetrare non possumus.

12. Ratione nostrae cognitionis, Deus in S. L. non uno modo se nobis patefecit, ut quodammodo sui cognitionem hominibus offerret. Cognoscitur igitur Deus manucentibus Sacris literis (1) ὀνομαστικῶς per Divina nomina, quae sunt essentia divina

vel

VO 17

